

**Commercium mentis a corporis occasione dicti sapientis, sap. IX. 15.
strictim expositum et illustratum / [Johann Hector Dietz].**

Contributors

Dietz, Johann Hector.
Verdries, J. M.
Justus Liebig-Universität Giessen

Publication/Creation

Giessen : Widow of J.R. Vulpius, 1724.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d7e8w58a>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

A. D. G.

21
COMMERCIUM
MENTIS & CORPORIS

OCCASIONE DICTI SAPIENTIS, SAP. IX. 15.

STRICTIM EXPOSITUM ET ILLUSTRATUM,

BENEVOLO INDVLTV

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS,

PRÆSIDE

IO. MELCHIOR. VERDRIES,

D. MEDIC. ET PHILOS. NAT. P. P.

ORDINARIO,

*PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO, OMNI HONORIS
CULTU PROSEQUENDO,*

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONO-
RIBUS RITE CONSEQUENDIS,

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUCTOR

IOHANN HECTOR DIETZ,

MOENO-FRANCOF.

AD DIEM DECEMBR. MDCCXXIV.

G I E S S Æ,

Typis VID. JOH. REINHARDI VULPII, Acad. Typogr.

Types and John Reinhardt Valen, And. Typogr.

A 22915



Q. D. B. V.

§. I.

Homo, nobilissimum illud divini creatoris opificium, est substantia ex binis partibus essentialibus composita, *corpore** sive substantia extensa, impenetrabili, mobili,** & *mente**** sive substantia cogitante**** omnisq; corporeæ molis experte.*****

* Corpus est machina naturalis summi & incomprehensibilis artificii, ex infinita tubulorum congerie coagmentata, partibusque, pro cujusvis fine & usu, sapientissime constructis & providentissime dispositis absoluta; ita ut illæ partes diversorum fluidorum influxu intensæ, incitatæ & animatæ variis operationibus vitalibus & animalibus idoneæ sint. Quod uti sensuum fide, & quidem in integro usu, exploratissimum habemus, ita non potest non mirum valde videri, surrexisse ex gente Philosophorum, qui vigilantes somniaverint, res materiales revera non existere, sed esse meras imagines sola representatione expressas, quasi per somnium; non dari materiam, corpus, extensionem, atque hinc nec corpus humanum, nisi in mente & idea nostra, unde & *Idealistæ* vocari fuerunt. O capita Anticyris vix expurganda duabus!

** In corpore deprehendimus extensionem & modum extensionis, *ἀντιστοιχείαν* sive impenetrabilitatem, & mobilitatem, unde omnes reliquæ proprietates fluunt, omniaque effecta corporea, quæ motui debentur, deducuntur. Neque ad constitutionem corporis quicquam amplius requiri videtur. Hæc enim ubi reperimus, protinus agnoscimus naturam corpoream.

*** Existere in homine substantiale principium à corpore essentialiter diversum, quod *mentem* dicimus, operationes, quas à natura corporea elicere prorsus impossibile est, quasque corporis idea & essentia excludit, evidentissime ostendunt. Hæ quippe reale & substantiale, (nisi enim substantiale esset, non posset agere & operari,) sed diversissimum à corpore & præstantioris naturæ subjectum requirunt, in & ex quo oriantur & proveniant. Ut nullo quoque modo audienda sit, altera *Monistarum*, quos vocant, *Idealistis* opposita secta, quæ nullam dari mentem, nullam substantiam à materia diversam, nullum spiritum, contendit, & non nisi materiam & corpora admittit, (unde & *Materialistarum* nomen accepit,) omnesque illas operationes vimque cogitandi & quicquid ea continetur ex habitu vitali harmonico, temperamento, quod Aristoxenum inter veteres voluisse, *Lactantius de opif. Dei C. XV.* auctor est, aut à spirituum, quos vocant, animalium agitatione in cerebro, ab actione objectorum excitata, proficisci, atque qualitatem corporis & effectum motus esse arbitratur, vid. *Hobbesii Leviath. C. I. & sqq.* doctrinamque de Anima inter Christianos receptam, quod sit immaterialis substantia corpori unita, à paganis confictam fuisse, nec principiis Philosophiæ, rationis & religionis consonam esse temere pronunciare non erubescit: sicuti audacter in primis id evincere laborat *Cowardus*, Anglus, libell. *de material. & mortalit. Animæ, Anglico idiomate conscript.*, atque secundum scripturam, animam nihil aliud esse quam vitam hominis, hoc est, unam eandemque virtutem, qua homo movetur, vivit, sentit, ratiocinatur, quæque in corpore reperitur, quam diu vivit, cesset vero prorsus quam primum illud interit, rursus tamen in universali corporum resurrectione extitura sit, sibi quidem sui que similibus (speciatim populari suo *Jo. Raphson*, qui in *Ep. I. Demonstrat. de Deo subje&ta p. m. 95.* animæ naturam inextensam & immaterialem impostu-
ram

ram Philosophicam non immerito vocare *Cowardum*, impudenter & temere scribit,) non vero aliis sanioris Philosophiæ cultoribus persuasit. Plura hanc in rem adduxit Magnif. & summe Reverend. *DN. D. Pfaffius in Orat. de Egoismo*,

**** Essentias rerum nos non nosse & proinde animæ quoque humanæ intimiorem essentiam nobis non esse perspectam facile largior, idque eo magis cum certo certius sit, omnem nostram cognitionem atque scientiam esse limitatam suisque terminis circumscriptam. Maluit enim sapientissimus Creator opera manuum suarum nos mirari quam nosse. *Syrac. XLIII. 17. 23. I. Cor. XIII. 9.* Interea tamen tantum cognitionis in hac imbecillitate concessum nobis esse exploratissimum habemus, ut & de existentia & de proprietatibus quibusdam rerum quæ sub cognitionis nostræ ambitum cadunt, essentialibus certi esse possimus. Cum igitur vis actiuosa mentis omnis in cogitationibus se manifestet atque iis omnes actiones mentis absolvantur, neque magis mens sine cogitatione quam ignis sine motu, aut sol sine luce concipi possit, hinc si animam humanam substantiam vi cogitante, actiuosa præditam dicimus, à veritate nos haud recedere existimamus. Mens enim, sunt verba *Excell. Bergeri, Archiatri Regii & Profess. Medic. Witteberg. primar. & sua*, sponte cogitat, & cogitationis suæ sibi est conscia, eamque, sibi præsentem semper ac prorsus jugiterque inhaerentem habet, non tanquam accidens in suo subjecto, sed tanquam essentiam quandam perennem, veluti lux soli adesse dicitur, ita ut, quemadmodum sol, adempta luce, non amplius sol est, sic si à mente abstrahatur cogitatio, nihil ejus amplius reliquum concipi possit. *Diss. de tuend. valetud. ex cogn. sui ipsius.* Adeoque anima sibi ipsi non prorsus est ignota, sed sibi sufficit, ad præcipua, per actus in se ipsam reflexos, in se cognoscenda. Verissime celeberrimus *Jo. Chr. Sturm*, qui animam suam, inquit, ejusque naturam incognitam sibi putant, ideo, quod, eam,

“eam imaginando, sub certa figura, extensione, motu, loci cir-
 “cumscriptione, ceterisque familiaribus sibi res corporeas con-
 “cipiendi modis, apprehendere non valeant: cum interim co-
 “gitare ipsam, velle, deliberare, ratiocinari, &c. posse, artium
 “innumerabilium inventricem, inventarum magistram, guber-
 “natricis pace belloque prudentiæ capacem, materiæ exper-
 “tem, naturaliter incorruptibilem &c. esse, partim facile possint,
 “partim non possint non scire, ejusque adeo tot attributa essen-
 “tialia, quot ullius alterius rei nota habeant & perspecta: illi,
 “inquam, in eodem errore versari mihi videntur, in quo versa-
 “retur is, qui sonos auribus hausisse non contentus, oculis et-
 “iam percipere gestiret.

***** Uniuscujusque rei naturam ex illius operationibus
 metimur: cum omnis actio sit naturæ à qua proficiscitur accom-
 modata. Operari sequitur esse, modumque essendi sequitur
 modus operandi, secundum effata Philosophorum receptissi-
 ma. Cum igitur cogitationem non magis à natura corporea
 derivare possimus ac à natura lapidis facultatem volendi aut
 ratiocinandi, atque materiam cogitare implicet, sane non ar-
 duum fuerit perspicere, substantiam tantis viribus ac faculta-
 tibus insignem non esse quid corporei. In corpore præter fi-
 gurabilitatem & ad recipiendos varios motus, gradibus celerita-
 tis distinctos, nihil invenire licet. Jam vero quilibet facile in-
 telligit, cogitationes non esse figuras aut dispositiones. Et
 quis quæso ex partium materialium quacunque aut qualicun-
 que conformatione, configuratione, superaddito etiam qua-
 licunque motu, modo utcunque saltem imaginabili aut intelli-
 gibili, ostendere poterit, qui hinc conceptus entis non tantum
 singularis sed & universalis, corporei, spiritualis, reflexa cogi-
 tationum perceptio, quando intellectus fit id quod intelligitur,
 ratiocinatio, judicium, vis inveniendi, consilium, voluntas,
 tantam memoria præteritorum, prudentia circa futura, tot scien-
 tia

tia aliaque plurimæ & prorsus mirandæ operationes possunt proficisci. Id quum plures ex veteribus probe perspectum haberent, & tamen reale & materiale ipsis unum idemque esset, duplicem finxerunt materiam, aliam terrestrem quatuor elementorum numero comprehensam, incognitam aliam, innominatam, caelestem, divinam, tanquam quintum elementum sine nomine, ex quo mentes constarent. Ita *Cicero*; *Aristoteles*, inquit, quintam quandam naturam censet esse, è qua fit mens. Cogitare enim & providere, & discere, & docere in horum quatuor generum nullo inesse putat; quintum genus adhibet, vacans nomine. Hæc si curatius expendamus, haud difficulter apparet, nihil egisse acutissimum *Lockium*, quando demonstrare laboravit, materiam cogitationis & rationis participem fieri posse, salvis proprietatibus essentialibus materiæ: aut, quod eodem recidit, ex substantia extensa & solida h. e. per essentiam non cogitante, posse fieri substantiam cogitantem, salva manente essentia, non cogitantis substantiæ. Perinde ac si ex lapide fieri posset aurum, salva essentia lapidis, aut ex musca elephanta, salva essentia muscæ: ex albo atrum, salva essentia albi, ex inanimato animatum, salva essentia inanimati. sicuti ἀσύνετα hæc sunt, ita & illud. Materia sive corpus cogitans est σιδηρόζυλον.

§. II. Binæ istæ partes tota natura dissidentes, ad constituendum hominem in unam personam conjunctæ & consociatæ* in actionibus suis ita conspirant, ut altera alterius opem & auxilium ad perficienda negotia à Deo præfinita exposcat; ** dum certas animæ cogitationes & nutus comitantur certi motus corporis***: & versa vice, cum certis motibus corporis certæ oriuntur in anima cogitationes. ****

* Coll.

* **Conjunctas & unitas esse illas partes ex eo luculenter apparet, quod anima cum nullo alio nisi cum suo, sibi associato corpore, nec corpus cum alia anima intimum ejusmodi commercium habeat; licet nullam necessitudinem aut cognationem, qua res adeo diversæ conjungi, nec vinculum aut simile quid, quo in unum constringi queant, reperire liceat. Qui enim substantiam intermediam hic confingunt chimæram in medium afferunt: Qui spiritibus vitalibus, aut animalibus, id muneris deferunt, difficultatem non tollunt, sed reddunt. Qui mentem amore corpus complecti vinctumque tenere dicunt, me quidem non adversum habent, cum animam amare habitaculum suum, eidemque vota nuncupare & benecupere certissimum sit, sed nondum tamen comprehendo, qua ratione anima immaterialis vas illud materiale affectu illo possit vincire atque cum eo sic in unam personam coalescere. Unde illorum potius præferenda sententia est, qui ad jussu & voluntatem divinam hic, in re difficili, confugiunt, atque per institutum stabilitumque illo jussu ordinem, animam cum corpore consociatam esse & durante convenientia actionum mutuoque commercio retineri arbitrantur. Num unio illa physica an potius metaphysica dicenda sit, de eo non ero sollicitus. Sufficit quod vera adsit consociatio, conspiratio, harmonia, actionumque consensus. Neque enim ita planum ac perspicuum est, rem immaterialem, spiritualem, quæ non est physica, cum materiali, corporea physice, h. e. ad modum corporum, posse uniri.**

** **Apparet hoc in motu partium voluntario, nec non sensationis negotio. Altera valente & vigente valet & altera: altera in actionibus & officiis suis turbata, altera quoque muniis suis rite obeundis non amplius par est. Inde quoque mentem sanam in corpore sano votis exposcimus & precamur. Jucunditas cordis est vita hominis & exultatio viri longævitæ. Aegritudo**

tudo animi, cura, sollicitudo, affectus animi exorbitantes, ira, mœror, tristitia, actiones corporis imminuunt, pervertunt, ipsumque corpus consumunt, senectutem & fata accelerant, conf. *Eccles.* XXX. 23. 25. 26. Unde inter causas morborum præcipuas affectus animi à Medicis referuntur; atque hinc frequentiam morborum in hominibus præ brutis imprimis derivare solent. Vicissim officinis & organis corporis male affectis, turbantur ac pervertuntur etiam mentis operationes. Multa sunt in corpore quæ acuunt mentem, multa quæ lumini ejus officiunt: docetque experientia evidentissima, animam dum fragili corpore continetur & in morbose corporis casula versatur, ab hujus labe & imbecillitatibus ita affici ut ab agendi operandique facilitate non parum sæpe impediatur. Mores & inclinationes animi sequuntur temperamentum corporis, atque animus à temperamento & organorum corporis dispositione quasi pendet. Ex quo & illud conficitur falsissimum esse eorum sententiam, qui, cum veteribus ex Στωϊκῶν Philosophis, corpus non esse partem hominis, sed tantum carcer & ergastulum supplicii instrumentum, hominemque sola mente constare existimant atque corpus contemni odioque haberi jubent.

*** Experientia manifestissimum hoc est, & qui animæ facultatem, quam locomotivam vocant, motusque corporis voluntarios expendit, dubius omnino hæret, utrum expeditissimum animæ imperium motuum ingenium temperans, an promptissimum organorum corporis obsequium mirari magis debeat? Quin illud omni sapientia humana majus est, quomodo pulsantes citharam digiti, pari motu, celerrimas cogitationes assequantur, ut nec à mente digitus, nec à digito mens relinquatur, verbis doctissimi *Barlæi, Orat. de anim. human. admirandis p. m. 113.* Idem apparet in impetu affectuum in corpus simul redundante, quando homo ab incusso subito terrore, constricto

B

habitu,

habitu, expallescit, contremiscit, convulsiones patitur: a pudore rubore suffunditur: ab ira insignes commotiones, aliquando salubres, sapissime morbosas, nonnunquam etiam lethales, experitur: sicuti plurimas de affectuum vi medica, plurimas etiam de mortuis ex affectibus observationes experientia Medicorum debemus; ex quibus liquido deducitur, affectus animi motibus corporeis & quidem ipsorum vehementia accomodatis & convenientibus stipatos esse.

*** Hoc non minus experientia exploratissimum habemus, quando facultatem animæ sensitivam consideramus, ubi ab actionibus diversissimorum objectorum diversæ in mente perceptiones, cogitationes, ideæ oriuntur, ita quidem ut ab organi dispositione recte constituta pendeat mentis perceptio, & nisi motus in organo productus ad commune quod vocant sensorium in basi cerebri sive medulla oblongata, unde nervi, tanquam organa sensus & motus, per totum corpus distribuuntur, libere propagari & deferri possit, ipsa quoque perceptio atque determinata illa cogitatio, quæ alias inde oriretur, cesset. Læsis organis impressiones percipere nequit anima, læsoque per morbos cerebro, læditur vis rationis, perit vigor, acumen, præstantia mentis, quin & pervertuntur operationes, intellectus & voluntas. Adolescente vigore cerebri adolescit vis & vigor mentis & ingenii, illoque per ætatem decrescente, decrescit. Ubi naturalis adest cerebri temperies atque succi illud rigantes vividæque undæ leni vibratione fibrillarum nervosarum placide promoventur, mens rationem exercet. Quando vero à naturali temperie desciscit, ac vehementiore ferventium humorum æstu commovetur, de statu suo mens facile dejicitur. Quin & pro temperie succorum & pro partium solidarum tensione diversa, mens ad actiones suas exercendas magis vel minus habilis est.

§. III.

Hæc uti certissima sunt, atque indubitata experientiacognoscuntur; ita si eadem curatius paulo expendamus; non adeo difficile fuerit, inde quodam modo expedire, qua ratione, secundum effectum *Sapientis, Corpus quod corrumpitur aggravet animam, terrenaq; inhabitatio deprimat sensum multa cogitantem, Sap. IX. 15.** Nempe, in illa actionum conspiratione, motus corporei in consensum trahunt animam atque sensum certæ ac determinatæ impressiones certas in illa ac determinatas cogitationes producunt, ** quibus, tanquam stimulis, allectamentis, illecebris, illa in recto rationis usu turbari, præpediri, obrui, obfuscar, impelli, allici, à veris arceri, ad falsa deduci, pertrahi, ad amorem boni apparentis, quod sensus proponunt, terrestris, incitari, ab amore boni veri, quod ratio videt & probat, stabilis, cælestis revocari solet ***. En vincula quibus æternitatis ille alumnus purioris ac sincerioris rationis alis subvectus & ad altiora, veriora, meliora, divina, h. e. sua tendens retrahitur. En pondera quibus deprimitur.

* Illud expeditum est, animam præstantissimis facultatibus exornatam, quæ, quod circumfert, corpus regere, imperiumque, cui destinata est, in carnem, sensus & affectus exercere, atque puræ defæcatæq; rationis usu vera bona perspicere, sensuum blandimentis, cupiditatibus, illecebris è carnis lenocinantis sinu e-

natis contrario nifu occurrere, resistere, atque bona saltem apparentia & fucata præ aliis præstantioribus & veris, quibus gaudere & frui potest, insuper habere, parvi facere, & contemnere debet, ab illis tamen corporeis motibus, quod insigne humanæ imbecillitatis argumentum est, sollicitari, oppugnari, horumque instinctibus, invitamentis, illectamentis, irritamentis expositam esse, iisque sæpe, obtritis puris & intellectua- libus ideis, in obsequium carnis pertrahi, atque libera quidem voluntate, corporis tamen blandimentis exstimulata, eo adduci ut licet meliora videat probetque, deteriora sequatur, & dum affectus & appetitus sub jugum mittere deberet, ab his abripiatur, subjugetur, ex domina serva fiat; ita quidem; ut voluntas, postquam consuetudini fræna laxata, non amplius illibatae ratio- nis flectatur habenis, sed captiva quasi circumferatur & tota sub affectuum & appetitus obsequio motuum corporeorum se- quatur legem & imperium. Unde nulla difficultate perspici- tur animam non optimis nec incorruptis consiliariis, sensibus nempe, stipatam, atque corruptæ carnis nervis circumductam, horum importunis instigationibus aggravari, falsis suggestio- nibus obrui & obfuscari ut proinde non sine causa veteres Phi- losophi corpus animi pondus & pœnam dixerint. Tribuitur hæc sententia *Orpheo* priscisque ethnicis theologis & vatibus, quam *Pythagoras* & *Plato* cum sectatoribus suis, itemque *Stoici* se- cuti sunt, qui corpus mox pœnam animi, mox triste pondus, obscurum, grave domicilium, terrenum carcer, ergastulum dixe- runt vid. *Huetius Quæst. Alnetan.* L. III. C. XI. nec non Ex- cellentiss. *Jo. Henr. Majus, Fil. Antiqq. Litt. Gr. & LL. OO. Pro- fess. in hac Alma Ludov. celeberrimus, Observ. Sacr. L. IV. p. 50. seqq. nec non Annotat. ad Basilium M. de legend. Gentil. libris Cap. XVII. p. 56.* qui & infernum corpus dictum memorat, *An- tholog. L. I. 37.* A Philosophis gentilium ad doctores Christia- nos similitudinem de carcere transiisse idem vir Excellentiss. ob- servat,

fervat, quod eo minus mirum videri poterit, quum & ipsa pagina sacra ab hisce loquendi modis non plane sit aliena, *ad Rom VII. 24. II. ad Cor. V. 4.* Nec reprehendendi sunt hic Stoici, si eorum sententia recte accipiatur, nisi in eo, quod exinde ne quidem hominis partem corpus esse, & ex isto capite curam corporis abjiciendam illudque ita contemnendum existimaverint, ut favire etiam in illud, tanquam rem malam, liceat. Corpus enim tanquam pars hominis omnino curæ habendum, reficiendum, tantumque ei tribuendum, ut ait Plato, quatenus ad sapientiæ studium inservit, quin danda opera, ut ipsum corpus illis perturbationibus sit superius, verbis *Basilii M. l. c. C. XVII.* cavendumque omni studio ne per latus ipsius in meliorem nostri partem delinquatur, ne durior carcer, sed domicilium tabernaculum, ex forma loquendi Apostoli l. c. *ad Corinth.* existat.

** Sensuum impressiones nihil aliud sunt quam motus organo impressi & ad cerebrum propagati. Organa sensoria constant apparatu & contextu nervorum, à succo, fluido aut halitu subtili in artificiosissimo cerebri opificio separato atque per illos derivato, intensorum, ut quodlibet sensorium instrumentum quasi musicum sit, nervis suis ut fidibus constans, *conf. Cl. DN. Præsidis Introd. in Physicam recent. Part. Gen. C. V. §. V. p. 167.* quorum, à rebus intus in nobis vel extra nos sitis, concitatis motionibus, vibrationibus, aut fluidi subtilissimi illos replentis atque solidos quasi cylindrulos referentis agitationibus tremulis, ad cerebrum propagatis oriuntur cogitationes & perceptiones in mente, idque ex lege consociationis & conspirationis, quam præpotens rerum Architectus inter animam & corpus intercedere voluit. Cumque illæ motiones & agitationes, tum pro ratione causæ impellentis & agitantis, tum pro diversitate dispositionis, texturæ ac tensionis ipsius organi variæ sint atque diversæ, alias quoque atque alias perceptiones & co-

gitationes inde oriri necesse est. Scilicet si totum sensationis negotium paulo accuratius intueamur & perquiramus, harmonico quodam partium motu & vibratione illud absolvi deprehendere licebit. Nempe cerebrum, cujus partem medullarem ex innumeris tenuissimis fibrillis sive tubulis compactam, pariter ac universam compagem, tensione quadam naturali gaudere Physici & Medici compertissimum habent, musicum quoddam opificium exhibet, quod nervos ex medullari illa substantia propagatos pariterque à succo illos rigante tensos undique ad omnes corporis partes dimittit, qui certis in locis distributi, superque membranas expansi, contexti ac peculiari conformatione & habitudine, in relatione ad certa objecta, donati, singularia constituunt organa musica cum cerebro connexa & harmonice conspirantia. Hæc naturali ordine & modo constituta motus à convenientibus objectis impressos atque pro determinata sua constitutione & habitudine specificatos ad cerebrum celerrime propagant atque in tensis hujus fibrillis similem quendam motum ac fidium quasi harmonice contremiscentium concentum excitant; & secundum hujus tenorem, certæ ac determinatæ subeunt animum cogitationes ita quidem ut, quo fides illæ nervosæ magis sunt intensæ, adstrictæ, aut quo sunt remissiores, laxiores, & quo proinde vibrationes earum sunt magis vel minus concitatæ, aut fluidum in illis magis vel minus citatis undis contremiscit, & ex consequenti concentus in cerebro quasi personans acutus magis aut gravis est, diversæ quoque in anima gignantur & proveniant cogitationes & inclinationes: prout hoc ipsum in habitu corporis ad actiones morales, variisque hominum inclinationibus & temperamentorum diversitate provenientibus satis evidens est: quando pro diversa humorum in mixtione sanguinis prædominantium natura, ipsiusque sanguinis mobilitate & ad influxum partesque solidas intendendas habilitate, itemque pro solidarum partium fibrarumque in primis sensilium, cerebri & nervo.

nervorum intensione, adstrictione, diversas animorum agitationes, appetitus, propensiones, aversiones, affectus, majoremque vel minorem proclivitatem ad virtutes & vitia observamus: quando in *phlegmatico* temperamento, cum lentiore humorum pituitosorum motu atque inde pendente laxiore fibrarum dispositione ac habitu & hinc resultante minore nervorum ad citatas vibrationes habilitate, torpore quoque mentis, incuria, pigritia, somnolentia, otiosa voluptatis amore, laboris, scientiarum atque doctrinae solidae & hinc operosae subtilisque fuga & aversio &c. conspirare: in *choleric*o vero, succorum subtiliorum, sulphureo-salinorum, acriorum agilitatem, fibrarumque nervearum strictionum ad citatiores vibrationes pronissimam dispositionem, mentis & ingenii promptitudo, curiositas, difficilia & abstrusa sciendi cupiditas, audacia suique fiducia, iracundia, vigilantia, calliditas per omnes prudentiae partes, judicium circumspectum &c. comitari: in *sanguineo*, cum latis, vividis sed blandis sanguinis temperati motibus, fibrarumque satis intensarum vigore & mobilitate, in animo latitia, & ad omnia, quae voluptatem pariunt proclivitas, curiositas sed inconstans & vaga, rerum sensibilibus, memoria & imaginatione magis quam acri subtilique judicio & attentione longa tractandarum, consentire: in *melancholico*, tardis & imminutis partium sanguinis crassiorum, terreorum, viscidiorum, rigidarum, minusque mobilium motibus, fibrarumque nervearum rigidiata, tarda animi consilia, fixior intentio, sollicitudo, altior memoria, morositas magis quam iracundia, similiaque respondere solent. Praeterea diversam cerebri temperiem ac tensionem diversumque proin fibrillarum vibratorum concentum diversos cogitandi modos inducere, ex eo perspiciatur, quod quoties illa mutatur, homines quoque alios affectus induant sibi dissimiles fiant, unde cum mutatione aetatis mutatur animus. Quando à cibo potuque, in primis inebriamini-

bus.

bus sanguinis & cerebri temperies hujusque æquabilis tensio mutatur, mutantur cogitationes: per intemperiem quoque aëris qua fluidæ pariter ac solidæ animalis corporis partes in temperie, tensione & motu mutantur, mentis quoque serenitas afficitur nihilque frequentius quam cælo austrino & nubilo, quo & solidæ partes laxantur, & intumescunt fluidæ, animum quoque nebulis involvi, gravari atque in sua promptitudine deficere. Neque enim in illa conspiratione actionum aliter fieri potest, quin mutato ob mutatam tensionem concentu & harmonia motuum cerebri, mutantur quoque cogitationes, inclinationes & affectus.

*** Equidem motus illi & corporei instinctus ratione regi ac cohiberi possunt, in iis cumprimis, ubi hæc adultior & cultior est & ubi virtutis & pristinæ bonitatis semina in anima exsurgunt. Inclinant enim illi, invitant, necessitatem non imponunt; Istud tamen fieri nequit sine lucta, & certamine quasi, inter carnem & spiritum, inter sensus & rationem; quando aliud ratio videt, probat, cupit, exoptat bonum, aliud vero sensus magnis blanditiis proponunt, suadent, importune etiam & sæpe cum impetu obtrudunt. Alterutrum alterum excludit, neque utroque simul potiri potest anima, & quando uno frui cupit altero carere eandem necesse est. Adeoque dum utrumque blanditur, utriusque particeps fieri desiderat. Unum tamen eligat oportet. Quid faciat? quo se vertat aut determinet? Ratio proponit bonum verum, præstans, desideratissimum, stabile; Sensus apparens, caducum, transitorium, quod acceptissimum tamen blanditiis grataque impressionis dulcedine magni quoque boni speciem mentitur: Illud exoptat anima, sed hoc non sine molestia & ingrato doloris sensu caret. Si originis suæ memor est, lumenque intendit suum, illius præstantia magis movetur quam hujus blanditiis, & sic ratio in certamine est superior. Quod si vero sensuum blandis illecebris magis auscultat, atque
imme-

immemor aut oblita præstantiæ suæ, averso aut suppresso suo lumine, sensualia bona præ isto majoris facit, & cum Esavo prærogativam suam edulii deliciis posthabet, in ista lucta succumbit ratio, atque anima imperium mala dat obruta parti: Idque eo facilius, quo efficacior est vis sensationis & quo importunius, in corpore disposito & ab æquabili succorum temperie pariter ac solidarum partium temperata intensione deficiente, sensuum exstimulationes rationi insultant, ejusque vim retundunt: unde fieri observamus, ut quo magis corpus à temperie naturali recedat, hoc magis etiam anima, naturæ intemperatæ impetu, à temperie morum deflectat, atque oblata levi specie in præceps rapiatur: & prout calor & acrimonia, quibus cerebri & organorum tensio & adstrictio mutatur, crescunt & habitant in sanguine, crescat etiam furor & temeritas in animo. Prout fusius hoc explicuit *Cl. DN. Præses, de Æquilibr. Ment. & Corpor.*

Ex quibus apparet, qua ratione anima à corpore illis motibus fatigetur & aggravetur, atque labem in suo vase à situ quasi contrahat: & quantum intersit ut mens in puriore corpore temperatoque habitet, ubi liberior esse à stimulis & insultibus sensuum, & cupiditates rationi magis obediens reddere potest. Enimvero, à sanguinis & succorum vitalium temperie & æquabili motu dependet justa opificii cerebri intensio, cum qua mentis præstantia & vigor exsurgit: & licet in hac imbecillitate ab omni insultu impressionum sensualium non omnino libera sit anima, quo magis tamen viget ratio, hoc minus licet voluptati, quod judicium circumspiciens omnia perspicit efficitque ut inclinationes, affectus, rationem non præcurrant sed sequantur: è contrario quo magis patitur vis rationis, vel corporis vitio, vel quod neglecta jacet, aut etiam imprudens sui ipsius obliviscitur anima, eo facilius hæc ipsa sibi imponi patitur: & quando tandem ad propensionem & instinctum naturæ confuetu-

fuetudo accedit, voluntas captiva circumfertur, & ratio ab affectibus & appetitu sensuali regitur, trahitur & subjugatur, ut libera licet & rationalis anima motuum tamen corporeorum permittatur imperio & legem sequatur membrorum, fiatque affectuum & voluptatum mancipium. Sic

*Mens oppressa jacet, jacet immortalis origo,
Et sequitur servi tristia jura sui.*

*Sic nervis animata suis fluidoque volucris,
Si ductore carent animo instinctuque ferino,
Membra ruunt humana, nec audit machina leges,
Quam quas corporeæ designant forte figuræ,*

ut canit personatus Venantius Pacatus, Solitud. l. Querel. de temper. p. 56. Cum tamen si subeat pectus cælestis origo atque decoris mentisq; serenæ meminisse, ac serio rationis opus affectare & sui ipsius æq; ac corporis curam habere atq; seditiosæ carnis sensuūq; ludibriis occurrere velit anima, imperium in corpus & membra à benignissimo Creatore concessum exercere ac serenioris habitu, quantum per concretam labem licet, dignitatem atque præstantiam suam tueri, posset. Novimus quousque gentilium sapientes hic progressi sint, qui indolem pravam & ingenitam ad animi perturbationes & vitia propensionem sobrietate & erectæ mentis firma intentione ita emendarunt, ut morum integritate præ aliis multum eminuerint. Exemplo Socratis in primis & Platonis. Quod si ad vitæ hanc curam & ornatum, ad εὐταξίαν, εὐσεβειαν mentis gratia Spiritus Sancti accedat, atque illius auxilio menti pristinum in corpus jus & potestas restituatur, quo non eniti poterit humanitas! quid præstantius hominique optabilius! quid homine dignius! Et tum demum mens neglecta jura & ereptosa corpore fasces repetit, ut vas & habitaculum suum in potestate, ejusque tanquam fidei commissi rationem habeat atque membris legem ac modestiam imponat eaque præcepta virtutis regulis accommodet.

Sunt

*Sunt miseris, sed pauca, tamen super ignea cæli
Semina, quæ quondam intemerata fuisse recordor.
Et fieri nunc posse puto meliora, volente
Numine, præsidio si tantos juverit ausus.
Utque datum non sit veterem revocare figuram,
Et semel oblitos purosque resumere sensus,
At saltem imperium dominantis frangere noxæ,
Invisumque scelus studio superare licebit.*

ut pari cum veritate elegantia canit suavissimus *Pacatus antea a-
legatus, l. c. p. 57.*

§. IV. Modum, quo conspiratio hæc utrius-
que hominis substantiæ atque actionum illud
commercium, inter res tota natura diversas, proce-
dat; quo ad nutus & cogitationes mentis corporei
motus, ad motus, corporeos perceptiones & cogita-
tiones mentis exoriantur? quo membra corporea
audiant quasi animæ imperium, & mens concen-
tum illum organorum corporeorum intelligat, eo-
que se flecti patiatur? quo anima corpori motum,
quem ipsa non habet, inspiret; & corpus animæ
præscribat quasi cogitandi modum offeratque
ideas, quæ in sinu suo nasci non possunt? me igno-
rare lubens profiteor, maloque hic æquo animo
in beneplacito divini conditoris,

Stupenda cujus opera nec nostra assequi

sed nec negare mens potest, Ps. CXXXIX. 14.

acquiescere, quam cum latentibus nodis, pro in-
genii mei imbecillitate, dimicare: idque eo magis,
cum systema, quod vocant, influxus physici

magnis difficultatibus impeditum * systema assistentiae iisdem non satis expeditum, ** systema causarum occasionalium talibus non minus implicitum *** systema vero harmoniae praestabilitae, *Illustr. Leibnitii* elegans & specie ingens, ultra hypotheseos ingeniosae sphaeram nondum eVectum, nec ad demonstrativam certitudinem deductum fit. ****

* Physice agere est ad modum & secundum leges naturae agere. Leges naturae sunt leges resistentiae & motus, secundum quas omnia corpora naturalia se invicem afficiunt & quas constanter observant: adeoque physice in se invicem agere, est ad modum corporum in se invicem agere. Quis vero dixerit animam in corpus, & corpus in animam agere eo modo quo corpora in se invicem agunt; Unde & illi qui, uti unionem, ita & actionem veram ac realem hic propugnant, non talem tamen se intelligere monent, qualis inter corpus & corpus obtinet, nec opus esse, ut quando in sensationis negotio spiritus animales in animam agere videntur, nobis persuadeamus, alii di quasi spiritus animales, in motu positos, ad animam, in eamque motum suum terminare, quemadmodum fluctus marinos ad littora appellere, ibique a motu suo remittere videmus. Animae actiones sequuntur naturam animae: actiones corporis naturam corporis: & quanto naturae hiatus binarum illarum substantiarum inter se differunt, tanto etiam earundem operationes a se invicem discedunt, ut nulla inter illas concipi possit proportio neque proinde comprehendi, qua ratione substantiae istae ad modum corporum actionibus suis possint se invicem impellere atque ciere. Anima neque communicare potest cum corpore motum, (quomodo enim communicaret quod non habet, nec pro naturae suae conditione habere potest) neque etiam à corpore recipere. Unde non uni ex
præ-

præstantissimis Physiologiæ medicæ scriptoribus motus etiam a voluntate imperatos animæ tanquam causæ motrici deberi affirmare non audent. Tametsi, inquit, *Excellentiss. Bergerus Physiol. Medic. p. 4.* motus quidam corporis, quos proinde voluntarios nuncupare solemus, imperio mentis subjiciantur, hi, tamen ipsi a corpore, ut instrumento animæ agente, & vi, suapte sponte agendi movendique prædito, non minus quam, motus reliqui, quos necessarios diximus, fieri dicendi sunt, quum à mente tantum regantur, ejusque injussu, vel etiam in, gratiis interdum, fiant. Eodem redit sententia *Excellentissimi Bohmii*, beatæ nunc memoriæ, cujus solidum judicium merito suspexit semper doctior orbis. *Circul. Anat. Physiolog. p. m. 43.* Nec organa corporea, quacunque ratione agitata, animæ inferre possunt cogitationes, hæ enim in penetralibus animæ non corpore gignuntur. Unde facile apparet, quantis difficultatibus prematur systema influxus physici. Ut de argumento ab æquali virium motricium quantitate in mundo conservata, aliisque quæ contra influxum physicum a viris celeberrimis urgeri solent, jam, nihil commemorem.

** In systemate assistentiæ, quod auctorem habet illustrem *des Cartes*, anima non equidem causa est motuum organorum corporeorum, sed directrix; non producit motus, sed moderatur eosdem habenis quasi; velut eques equi, quo vehitur, motum, a causis suis procedentem, non producit, sed dirigit, voce, calcaribus, virga, aut etiam umbra virgæ, compefcitque freno: Nec corporei motus causa efficiens sunt cogitationum, sed determinatus ille fibrarum corporearum vibratarum, aut undularum fluidi nervei, instar chordarum solidarum aut radiorum per nervos protensi, concentus animam ita afficit, ut viribus propriis certas concipiat cogitationes formetque sibi & proponat determinatas ideas objectis & eorum actioni in organa congruentes. Verum uti modus quo anima nervorum aut

fluidorum in illis motum dirigat atque in hanc magis quam illam partem flectat, inexplicabilis est, (eques enim, qui equum flectit ac dirigit, instrumentis utitur & influxu physico concurrit; sed illis anima caret: & hic illius naturæ repugnat:) ita modus quo ad vibrationem & concentum fidium aut radiorum fluidi per nervos protensi cogitationes convenientes exoriantur maxime in occulto latet. Sicuti & motus leges, a præstantissimis pulveriseruditi cultoribus in natura observatæ, æque in hoc ac in prioris systemate turbari videntur. Confer acutissimi *Bülffingeri, Profess. Tübingens. celeberr. Comment. de Harmonia Anim. & Corpor. human. maxime præstabilita. S. IV. p. 70.*

*** In systemate causarum occasionalium, nec anima agit in corpus, nec corpus in animam; quin ambæ illæ substantiæ ne quidem absolute agere possunt, sed uti omnes causarum secundarum actiones unice ab ipso Deo, immediate concurrente, pendent, ita in hoc quoque commercio, occasione cogitationum aut volitionum mentis atque ad earundem præsentiam, Deus immediate producit convenientes motus in corpore, & occasione motuum in organis corporeis, congruentes his cogitationes, perceptiones, volitiones in mente, lata sibi ipsi quasi lege arbitraria, ut ad determinatas cogitationes determinatos organorum motus, ad determinatos organorum motus & vibrationes determinatas cogitationes divina sua virtute produceret & excitaret: nulla relicta causis secundis vi agente sive propria, ex concessa natura & essentia proveniente, sive ab ipso Deo communicata; occasione saltem divinæ operationis effectum pro lege generali, semel lata, in quocunque casu, determinante. Adeoque anima non est causa motuum corporeorum sed cogitationibus, (quæ tamen ipsæ sunt etiam actiones Dei) occasionem Deo præbet ad illos producendos: neq; corporis motus sunt causa cogitationum, sed occasionem Deo largiuntur ad has in mente excitandas. Verum ut in hoc systemate, quod specie insigni exornare

ornare atque a singulari in Deum pietate commendare, magna fiducia sustinuerunt viri doctissimi & celeberrimi, invita veritate, animæ & corpori omnis vis agendi abjudicatur, actiones Dei cum actionibus causarum secundarum confunduntur, atque ipse Deus naturæ atque creaturis quasi immiscetur, permiscetur, omnis actio naturalis tollitur, atque omnia, quæ fiunt in natura, per miraculum fiunt, imputatio quoque moralis aufertur: ita haud immerito ab aliis doctissimis magnæque auctoritatis Philosophis repudiatum fuit, atque paucissimos hodie aut nullos fere amatores habet. Conf. *Cl. DN. Præsid. Conspect. Philos. Nat. C. II. p. 74.*

**** In systemate harmoniæ præstabilitæ, ab Illustri Leibnitio primum propositum, *Journal des Scavans Ann. 1675. p. 444. seqq.* ab Excellent. toroque orbe celeberrimo Christian. Wolffio, in *Metaphysic. sive tract. von Gott/der Welt/ und der Seele des Menschen/* uberius exposito & dilucidius explanato, & à clarissimo Bülfingero in antea allegata commentatione illustrato & vindicato, utraque hominis substantia res sibi habet suas, sine alterius in alteram influxu physico. Anima, quæ vim habet sibi representandi mundum, omniumque rerum & motuum in mundo, eo ordine quo sibi succedunt, agit vi naturæ suæ & evolvit ideas suas secundum leges ethico-logicas, ex consideratione causarum finalium & appetituum eruendas: corpus agitur motibus suis secundum leges physico-mechanicas: & cum utrinque consequentia pendeant ab antecedentibus, atque præsens, verbis Leibnitii, sit gravidum futuro: quando scilicet determinatæ mentis perceptiones ex determinationibus status antecedentis, pro legibus naturæ rerum convenientibus: motus corporis, pro diversa partium connexionem, secundum leges motus, ex statu & motu ejus antecedente, determinantur & consequuntur: Deus, qui, pro omniscientia sua, totam hanc actionum utriusque consequentium seriem & connexionem perfectissime perspicit & comprehendit atque futura tanquam præsentia intuetur, ita præparavit corpus & animo accommodavit, ut mutationes motuum in illo eo-consequantur ordine, quo perceptiones & ideas in anima. Animam vero eo instruxit modo, ut representet mutationes sui corporis atque aliorum quatenus cum isto connectuntur: dumque id semel ac simul factum atque utraque substantia suis legibus permixta fuit, modo cuique conveniente, nunquam amplius discordare possunt, nisi à legibus suis desciscant: sed motus in corporibus
atque

atque repræsentationes & evolutiones idearum in anima simul & simili modo succedunt; illi per causas efficientes, hæ secundum finales. Illic trudendo & pellendo, hic alliciendo & inclinando voluntatem. Vel brevius, pro actione animæ in corpus explicanda: Deus qui omnia animæ cogitata, & futura tanquam præsentia novit, accommodavit animo corpus ut, vi motuum in mechanismo, omnia illa peragat, quæ mens eidem imperaret vel imprimeret si physicum utriusque foret commercium: pro actione corporis in animam: ille ipse potentissimus Creator, qui & corporum nos ambientium collisiones & motus novit, ita illis animæ naturam attemperavit ut ipsius repræsentationes justo tempore externis illis in corpus nostrum agentibus respondeant: salva tamen volitionum libertate. Plura vid, apud laudatum *Bütffingerm Comm. p. 117. conf. Exc. Wolffii Metaphys. § Annotat.* In hoc systemate difficultates quæ in prioribus systematibus occurrunt, evanescent, atque omnia fiunt planiora, ut merito ingeniosæ hypotheseos laude gaudere possit: sed hypotheseos tamen, quod & ipsi laudatissimi Auctores non diffidentur, nondum ab omni dubitatione expeditæ.

Mihi sufficit, quod tale animæ & corporis sit commercium, conspiratio, harmonia à Deo præstabilita, prævisa, ut (α) pro voluntate & ad imperium animæ, quin & nutum, certi ac determinati membrorum motus è vestigio & noctu oculi citius consequantur, quæ non consequerentur si voluntas non esset & imperium: ut (β) ad sensoriorum determinatos & pro eorundem constitutione specificatos, & ad commune sensorium propagatos motus determinatæ perceptiones in anima proveniant, quæ sine illis non provenirent: ut (γ) vehemens animæ agitatio possit corpus convellere, eousq; ut in vitæ discrimen homo adducatur ut (δ) corporis intemperies & organorum, in primis cerebri, à naturali tono & concinentia declinans constitutio viribus mentis obsistere possit & rationem loco movere: ut (ε) perceptiones à moribus corporeis, concentu & harmonia cerebri provenientes animam possint excitare, allicere, flectere, fatigare, in recto rationis usu turbare, impedire, premere & opprimere, & ad illud, quod sensus proponunt, bonum amplectendum abripere quasi & ab eo, quod ratio suadet eandem dimovere: ut (ζ) tamen, si velit anima viribus concessis uti sibiq; & corpori prospicere & cavere, atque adjutorio altiori se dignam reddere, possit his inclinationibus resistere atque sic ratio in hac lucta superior esse: ut (η) anima possit imperio in membra uti & abuti, ita ut ad rationem reddendam imperii administrati teneatur & in jus vocari possit. Quacunque demum ratione hæc conspiratio contingat. Hoc pro
scopo meo atque instituto
SUFFICIT.